

causa sententias enunciant in tertia persona sic: *servus tuus rogat, dominus meus vult*, etc. Communis appellandi formula erat דָּבָרֵי דֹמִי *domine mi*, qua personas quascumque honore dignas interpellabant, cui pro variae personae dignitate aliquid addebatur, ut: *domine mi*, *rex*. S. Lucas in prooemio Evangelii Theophilum appellat titulo *optimi*, ἀριστῆ θεοφιλε, *optime Theophile*, sed hoc potius ad Graecorum usum, quam ad Hebraeorum referendum videtur. Hebraei magistros seu doctores titulo *Rabbi*, vel *Rabbani* inter loquendum appellabant, ut supra vidimus, et Christus Pharisaeos, Scribasque reprehendit, quod hosce titulos nimis affectarent. Euphemismi in familiari sermone Hebraeis frequentes erant, quamvis non omnino nostris respondentes: ita ex. gr. dicebant *aquam pedum* pro urina, *tegere pedes*, pro mingere, seu ventrem purgare, *femur*, pro partibus inhonestis, et alia similia, verum ex alia parte in quibusdam, quae nos verbis tegere solemus, clare et sine ambagibus loquebantur ut ex. gr. de hominis conceptione et nativitate, de mulierum sterilitate aut foecunditate, de quibusdam morbis, aut criminibus contra mores, quae paulo duriora nostris auribus sonant. In mutuo colloquio Hebraei urbanissimi esse solebant: raro contradicebant etiam cum falsitatem in alterius sermone animadverterent, sed vel dissimulabant, vel mitioribus formulis utebantur דִּיךָ לֵךְ, דִּיךָ רַב לֵךְ *sufficit* (Deut. III, 26, Luc. XXII, 389). Convicium in sermone erat alterum appellare *satan* (adversarium), vel *stultum*, quod pro impio accipi solebat, aut *raca*, seu contemptibilem, quae magna iniuria reputabatur. Ad aliquid affirmandum, seu concedendum, quod tamen verbis exprimere nolent, utebantur formula: *tu dicis*, vel *tu dixisti*, uti etiam nunc fit apud Syros. In colloquio generatim abstinere ab emungendis naribus, et spuendo, ut etiam nunc Arabes, testibus d'Arvioux et Niebuhr. Generalis character conversationis Hebraeorum paulo vivacior videtur fuisse quam nunc apud Arabes et Turcas: hilaritas et loquacitas eis minime deerat, cantibus quoque, musicae et conviviis satis addicti erant, ut Scriptura passim testatur. Deambulatio praesertim longa Hebraeis, ut generatim orientalibus, parum aridebat, pro qua potius in forum ante portas urbis convenire solebant ad tempus trahendum, et confabulandum, aut in domibus temperatae laetitiae indulgebant. Ablutionibus, et balneis frequenter uteban-

tur, cum munditiae, tum refrigerii causa, saepe etiam ex praescripto Legis, ut supra vidimus. Somnus meridianus ab illius regionis caloribus suadet, et in usu erat et est apud omnes orientales, cuius vestigia in Scriptura occurrunt 2 Reg. IV, 3, XI, 2, Matth. XIII, 25. De ludis nullum occurrit vestigium, si excipiatur venatio et piscatio, quas tamen multo saepius ad lucrum, et ad vitae sustentationem exercere solebant, et gymnasticus ludus attollendi lapides, de quo alias mentionem fecimus.

## CAPUT IV.

## DE DOMIBUS ET HABITATIONE

I. Nihil dicemus de primis hominum habitaculis, qualia fuerunt cavernae, seu speluncae, quibus Palestina abundat, in quibus habitare solebant, qui in Scripturis vocantur הַרְיִיחַ *Horraei* seu *Trogodytae*; in his enim Hebraei nonnisi necessitate compulsi, ut in persecutione, vel bello, habitabant, ceterum ad mortuorum potius sepulturam iis utebantur. Dicemus tantum de *tentoriis*, et de proprie dictis *domibus*.

II. *Tentoria*, seu *tabernacula*, in historia Patriarcharum passim commemorantur: illi enim solebant ea secum asportare, et hac illac figere: rursus toto tempore peregrinationis in deserto omnes Hebraei sub tentoriis habitabant, in cuius rei memoriam *festum tabernaculorum* institutum est, in qua solemnitate octo dies Hebraei in tabernaculis seu tentoriis morabantur. Nunc vero hunc habitacionis modum servant Arabes nomades, quos ideo Graeci appellabant *scenitas*, nos *Beduinos* dicimus. Forma tentorii in Scripturis non describitur, sed facile ex Arabum tentoriis dignosei, seu conici potest. Alia sunt rotunda, et parva tribus palis humo infixis sustentata, et panno ex lana vel pilis camelorum contexto confecta; alia vero maiora et oblonga septem vel novem palis suffulta, quorum medius caeteris altior est. Interius spatium in tres partes dividitur velis, ad divisionem virorum, mulierum et animalium. Pavimentum aulaeis, vel saltem blattis sternitur, quibus etiam sedetur, et quandoque molliores calcitrae et pretiosa stragula non desunt. In his itaque tentoriis et cibi praeparantur, et capiuntur,

et in aestivis caloribus sedetur, et noctu somnus capitur. Similia fuisse Hebraeorum tabernacula vix dubiam esse potest, si attendatur ad Orientalium uniformitatem et tenacitatem in priscis moribus servandis. *Tabernaculum figere* in scripturis dicitur **תהל** quod aliquando significat etiam *tabernaculum removere* (Gen. XIII, 12, 18, Is. XIII, 20).

III. De *domibus* proprie dictis (**בית, בתים**) haec notanda sunt, quae quidem partim ex variis Scripturae locis colligi possunt, partim ex recentioribus Palestinae et Orientis domibus, quae vetustam formam in substantialibus retinuisse censentur. Initio quidem domus parvas fuisse et unius contignationis verisimile est: eadem quondam ex lapidibus luto connexis, deinde lateribus et calce extruebantur, qui aedificandi modus inde a tempore Moysis noius supponitur (Deut. XXVII, 2-4): decursu temporis domus grandiores et elegantiores aedificari coeperunt, ut iam Deut. VIII, 12 innuitur. In his praeter elegantem formam, et pretiosorum lapidum ornamenta, etiam plures contignationes saltem in ditiorum hominum domibus notandae erant, ut innuitur 3 Reg. VI, 6, VII, 4, 4 Reg. I, 2, Os. VIII, 4: splendidiores domus describit Hieremias ut sua aetate frequentes, easque appellat **בתי מדרות** seu *domus amplas et elevatas*. Demum aetate Christi splendida et magnificentissima aedificia Hierosolymae conspiciebantur, de quibus aliquid diximus supra in Sectione I, quamvis ea non ad Hebraicam, sed potius ad Graecam et Romanam architecturam referenda sunt, non exclusis aedificiis templi Herodiani. De singulis autem domorum partibus, earumque dispositione notata digna sunt sequentia.

1. Forma plerumque *quadrata* erat; tectum vero non inclinatum, ut in nostris domibus, sed planum, et stratum, vel etiam pavimento instructum ad ambulandum, et sedendum, et circum circiter lorica vel muro cinctum (Deut. XXII, 8). Hebraei enim, ut etiam nunc Orientales, tecta domus frequenter ascendebant, ibi puriorem aerem captabant, confabulationes et familiaria colloquia habebant, preces quoque fundebant, denique aestivo tempore etiam somnum noctu capiebant, vel sub dio, vel sub tabernaculis ibidem extractis. Horum omnium exempla passim in Scripturis occurrunt, ut cum dicitur Saul in tecto domus Samuelis dormisse 1 Reg. IX, 25, 26, vel Regem David in tecto sui palatii ambulasse

2 Reg. XI, 2-7, vel cum Christus ait oportere Apostolos *praedicare super tecta* (Matth. X, 27), vel cum Petrus in tectum ascendisse dicitur *ut oraret circa horam sextam* (Act. X, 9).

2. *Ianua* domus in medio frontis aedificii sita erat, eaque semper clausa, et a ianitore, vel ancilla custodita. Ianua aditum praebebat in *vestibulum* exterius, ubi verosimiliter erat scala, quae ad superiores partes et ad tectum ducebat, ut innui videtur Matth. XXIV, 16, 17. Exinde sequebatur interius vestibulum, seu atrium, quod *impluvio* domuum Romanarum respondebat: scilicet erat area quadrata quatuor lateribus domus cincta, habens stratum pavimentum, et in medio cisternam, vel aquae vivae fontem: Hebraei illam vocabant **דביר** vel **מקדח** *medium* (2 Reg. VI, 6, XVII, 18, Luc. V, 19). Erat insuper hoc atrium porticum instructum, quandoque ex elegantioribus columnis, quae saepe ambitum apertum et cancellis praecinctum sustentabant ad deambulandum, et prospiciendum (4 Reg. I, 2, 16, 18). In hoc atrio in praecipuis festis domesticis maior amicorum et hospitum numerus excipi solebat, ad quem finem panno vel linteo tegebatur ad solis ardorem temperandum (Ps. III, 2, Mar. II, 4, Luc. V, 19).

3. Latus domus iannae adversum apud Arabes mulierum habitationi reservatur, et dicitur *Harem*, quae quidem diligenter custoditur ab ancillis et eunuchis, et nonnisi marito, seu domino patet. Aliquid simile etiam apud Hebraeos usitatum fuisse, postquam polygamia invaluisset, probabile est. Huic gynaeceo plerumque hortus adnexus est, in quem foeminarum cubicula prospiciunt. In reliquis lateribus domus virorum cubicula, et conclavia disposita erant, item coenacula, culina, aliaque ad vitae necessitatem et solatium accommodata.

4. *Fores et serae* a nostris non parum differabant. Fores modo una valva **דלת** modo duplici valva **דלתים** constabant. Super haec valvas ex praecepto Legis (Deut. VI, 9, XIII, 20) inscribi solebant sententiae ipsius Legis: scilicet verba Legis membranae inscribebantur, et haec postibus affigebatur non solum domorum privatarum, sed etiam portarum urbis: haec membrana gerens verba S. Scripturae dicitur ab Hebraeis **כפרות** *mezuzah*. Fores autem claudiebantur *sera* **מכעיל**, vel vecte, aut repagulo quod ab Hebraeis dicebatur **בריה** (Iob. XXXVIII, 10, Deut. III, 5, Iud. XVI, 3). *Sera*

nihil aliud fuit quam pessulus ligneus mobilis et dentatus, qui duplici fune appensus, per has in foramen postis immittebatur, et in rastrum ligneum incidebat, ut inde educi non posset nisi elevaretur. Ita funes proprie ianuae clausam tenebant. Hinc explicantur phrasae illae Biblicae cum *ligare* aut *solvere* dicitur proclamare aut aperire (Dan. V, 16, Matth. XVI, 19). Ad seram vero attollendam funesque solvendo nonnunquam manu utebantur per foramen portae immissa, ut innuitur Cant. V, 4, generatim vero clavi lignea satis grandi et adunca quam vocabant כפתרה (Iud. III, 25). Similem modum portas claudendi et aperiendi adhuc in Oriente communem esse testantur docti viri Chardin (*Voyages en Perse* To. IV, pag. 123) et Quatremere (*Dictionnaire Hist. d'architecture* To. II, pag. 462).

5. *Fenestrae* raro in publicam viam, vel plateam prospiciebant, eaque semper clausae manebant, et tantum in publicis solemnitatibus aperiiebantur (Iud. V, 28, Prov. VII, 6, Cant. II, 9). Reliquae fenestrae in atrium interius patebant, et usque ad pavementum fere descendebant, ut domi sedentes per eas prospicere possent; vitris quoque vel cristallis carebant, et tantum clathro vel cancello munitae erant, aut velo tenni, et pellucido claudiebantur. Vela ista seu cortinae clavis auratis et elegantibus muro affixis suspendebantur, qui ad ornatum etiam domus adhiberi solebant. Pavimentum cubiculorum blattis, vel stragulis sterni solebat, in quibus saepe Orientalium luxus maxime apparet: cum autem generatim discalceati sint cum domi morantur, ea inquinandi periculum minus est quam apud nos, et necessitas verendi aut mundandi rarior.

6. Domus parum inter se coniunctae erant, interiectis scilicet hortis et agris, unde etiam intelligitur cur vetustae Orientis urbes, ut Ninive, et Babylon, in tam immensum spatium protenderentur, ut alibi vidimus. Attamen Hierosolymae in extrema aetate credendum est domus multo spissiores et viciniores fuisse, nam ex Iosepho Fl. scimus ex una parte eius circuitum 33 dumtaxat stadiorum fuisse, ex alia vero immensam hominum multitudinem praesertim paschali tempore in ea collectam fuisse, aliquando non minus 3,000,000 (Ios. Bel. Iud. Lib. III, Cap. 3.). Plateae in Asiae urbibus saepe angustissimae sunt, et credibile est similes fuisse plerasque He-

braicarum urbium plateas, quae שוקים, vel הצלה vocantur: non deerant tamen ampliores plateae, quas ideo Hebraei רחובות seu *latae* vocant.

## ARTICULUS V.

### DE VESTIBUS, ORNAMENTIS, ET LUXU

I. Materia praecipua vestium veterum Hebraeorum erant animalium pelles, linum, et lana, quae seorsim contexti solebant, simul enim ea miscere lege vetitum erat (Lev. XIX, 19, Deut. XXII, 11). Sericum olim Hebraeis ignotum erat, et nonnisi circa tempus captivitatis Babylonicae adhiberi coepit. Saltem primus qui illud nominat est Ezechiel, si tamen vox *mesci* משי quae occurrit Ezech. XVI, 10, 13 sericum significet: in Apocalypsi Iohannis (XVIII, 12) sericum inter res pretiosas numeratur, quod ostendere videtur Apostolorum tempore sericas vestes magni aestimatas fuisse. In descriptione tabernaculi, et vestium sacerdotalium passim ut praecipua materia nominatur *byssus*, qui Hebr. שש, vel בר dicebatur, postea vero ביץ unde vox Βύσσος byssus orta. Erat textura ex lino purissimo et tenuissimo. Ad colores quod attinet, praecipui erant albus, purpureus, coccineus, et caeruleus, seu hyacinthinus. Niger vel fuscus color viliorum tantum vestium erat, et ad tempus quoque luctus pertinebat. Purpureo colore splendebant vestimenta regum, et regum principum. Coccineus color, הלצה seu *vermiculus* dictus, in magno pretio erat, et vestes quandoque bis eo tingebantur, ut splendidiore fierent, quae in Scripturis dicuntur שני, vel הלצה שני *cocco bis tinctae*. Nonnunquam plures colores eidem vesti inducebantur sive acu, sive opere textili, qualis fuit vestis polymita, quam Iacob filio Ioseph fecit Gen. XXXVII, 3, et quaedam vestes summi Pontificis superius descriptae.

II. De singulis autem vestibus haec pauca adnotabimus, omnis iis quae Sacerdotum et Pontificum in templo ministrantium propriae erant, de quibus sermonem fecimus cum de personis sacris ageremus. Haec in usu civili et domestico sequentes vestes distinguiebantur.

1. *Tunica* כהנה prima et antiquissima vestis est. Haec olim quidem nihil aliud fuit quam linteum corpori circumdatum, ad

lumbos cingulo alligatum, et usque ad genna pertingens deinceps vero supra et infra productum, ita ut totum corpus a collo usque ad talos contereret. In libro Genesis, et in secundo Regum mentio fit de tunica dicta *passim* כְּתֹנֶת פְּסִים quae Gen. XXXVII, 3 in Vulgata vertitur *tunica polymita*, et 2 Reg. XIII, 18. *tunica talaris*, imo in priori loco v. 23 simul dicitur *talaris et polymita*. Quoniam vero fuerit eius forma Scriptura non dicit: hoc tantum certum est eam tum viris tum mulieribus communem fuisse, nam in primo ex citatis locis ea tribuitur Iosepho, in altero vero Thamar sorori Absalom: fortasse ornatior erat et elegantior ceteris tunicis, nam Iosepho tantum ob specialem amorem a patre Iacob concessa fuit, et de simili veste puellae Thamar in loc. cit. notatur eam filiarum Regis propriam fuisse. Moyses aliquando aliam quoque tunicam commemorat dictam *tasbets* כְּתֹנֶת תַּשְׁבֵּץ sed cuiusmodi haec fuerit impossibile est definire. Ceterum communis tunica immediate corpori circumducebatur, ut simul indusii et vestis locum teneret, unde fit ut homo sola hac interiori tunica indutus in Scripturis simpliciter *nudus* dicatur, ut ex. g. Iob. XXIV, 7, 10, Isa. XX, 2 seq., Marci XIV, 51-52, Io. XXI, 7, ubi certe vox nudus non est intelligenda in propria et obvia significatione. Saeviente frigore Hebraei duplicem tunicam gestare solebant, ut etiam in itinere inter mutatorias vestes plures tunicas secum ferebant, quod Christus Matth. X, 40 Apostolis prohibuit ad paupertatis studium, et ad plenam fiduciam erga divinam providentiam fovendam. Tunicae similis erat vestis linea dicta *sadin* סַדִּין (Iud. XIV, 12, 13, Prov. XXXI, 24), imo proprie nihil aliud videtur fuisse, quam tunica paulo amplior et laxior, ut vocis etymologia suadet, et Graece in N. T. vocatur *σινδων*, *sindeon* (Mar. XIV, 51, 52).

2. *Cingulum* tunicam ad lumbos astringebat, ne ambulans impediret praesertim in operando, et in itinere faciendo. Quare in Scripturis phrases: *lumbos praecingere*, *praecinctus lumbos* significat operi manum admovere, vel ad opus paratum esse. Haec cingula generatim ex lino confecta erant, pro pauperibus autem ex pellibus vel corio (4 Reg. I, 8, Matth. III, 4). Ditiores elegantia et pretiosa cingula gestabant, variis coloribus contexta, vel aucta picta, quandoque etiam auro et gemmis ornata, ut praesertim prin-

cipes et reges. Milites, ac duces exercitus cingulo suspendebant gladium. Generatim in cingulo etiam pecuniam gerebant, atque ideo pars cinguli marsupii locum tenisse videtur: hinc Christus Apostolicam paupertatem discipulis commendans aiebat: «Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis (cingulis) vestris» Matth. X, 9. In hoc quasi marsupio etiam sudarium gestabant, saepe etiam atramentarium cum calamis ad scribendum, ut legitur Ezech. IX, 2, et nunc apud Turcas, Tunisinis, et Beduinis in usu est. Mulieres aliud cingulum pretiosum gerebant quod Scriptura *fasciam pectoralem* vocat, quod proinde multo aliud esse debuit virorum cingulo, ut pectus quoque amplecteretur.

Haec quidem erant interiores, vestes; exteriores vero, id est superindumenta, erant praecipue *Ephod*, *Mehil*, et *Simlah*.

3. *Ephod* erat quidem vestis sacra Sacerdotum propria, quam superius descripsimus, sed aliquando etiam a laicis induebatur: illam enim gestabat puer Samuel (1 Reg. II, 18), et David rex cum Arcam reduceret in domum suam (2 Reg. VI, 14).

4. *Mehil* מֵעִיל, quae cum viris tum foeminis (2 Reg. XIII, 18) communis fuit, quamvis passim reddatur per *pallium*, et aliquando per *tunicam*, ab utraque tamen discrepasse videtur. Erat enim potius talaris vestis paulo laxior, tunicae superimposita, manicis carens, quae quidem in Summo Pontifice tota hyacinthini coloris erat, in laicis vero aut alba, aut purpurea, aut alterius coloris.

5. *Simlah*, שִׁמְלָה proprie erat *pallium*, quod super caeteras vestes gestari solebat: dicitur etiam *beghed*, בִּגְדָה et graece in N. T. *μαζαντον*. Ex verbis Deut. XXII, 12, ubi de *quatuor angulis* pallii sermo est, colligitur hoc indumentum forma quadrangulari fuisse. Similis vestis videtur fuisse ea quae in textu Hebraico dicitur *addereth* אֲדָרֶת quam Vulgata per vocem *pallium* similiter vertit (4 Reg. II, 8, Zach. XIII, 4).

6. Plures aliae vestes in Scripturis nominantur, praesertim ubi de vestitu mulierum agitur, sed earum forma, et usus non innotescit, et versiones aut genericis vocabulis earum nomina reddunt, aut in specialibus appellationibus inter se non conveniunt (1).

III. *Capitis tegumentum* olim quidem nullum fuisse videtur:

(1) De his praeter auctoris Archeologiae biblicae alias citatas, videri potest speciale opus Schroederi: *De vestitu mulier. hebr.* p. 263 seqq.

deinceps vero coeperunt linteo seu panno caput circumligare, quod postea varias formas assumpsit, et in mitras, et tiasas varii generis conversum est. Communis mitra, qua uterque sexus utebatur Hebraico dicitur *tsaniph* צִנִּיף, quae vero a Sacerdotibus gestabatur dicitur *mighbah*; מִיבָהָה, summi vero Sacerdotis mitra, ex qua pendebat lamina aurea, vocatur *mitsnepheth* מִצְנֶפֶת, quamvis haec etiam regibus tribuatur Ezech. XXI, 31. Mulieres praeterea, exceptis ancillis et vulgaribus foeminis, etiam peplo, seu velo caput et vultum tegebant quoties domo exirent, aut cum viris colloquerentur: quod etiam nunc passim apud Orientales observatur. Caeterum nec viri nec mulieres in templo et in precibus fundendis unquam caput nudabant, ut et nunc in Oriente etiam apud Christianos fit. *Barba* ab omnibus viris gestabatur et colebatur, nec eam radere solebant nisi ob luctum, vel ad dedecus infligendum. Angulos barbae, ubi scilicet cum capillis coniungitur, radere in Lege speciatim prohibitum erat ea de causa quod vicini populi per hunc ritum falsis Diis se vovere solebant (Lev. XIX, 27. coll. Hier. XI, 26, XXV, 23). Capillos quidem quandoque novacula radabant, exceptis Nazareis, generaliter vero Hebraei comam colebant, et pretiosis unguentis, saltem in solemnitatibus et conviviis, ungebant. Foeminae, ut in aliis fere gentibus caesariem diligentius colebant, et floribus etiam vel gemmis saepe ornabant.

IV. *Pedum tegumentum* olim fuerunt sandalia, seu lignae tabellae, vel corii soleae plantae pedis suppositae, et corrigiis, seu loris, pedi alligatae, aliquando tamen nobilioribus viris ac foeminis pretiosa erant sandalia (Judith X, 3, XVI, 11). Species pretiosi calcamenti erat תְּחָשׁ *thahhase* nominatum Ezech. XVI, 10, sed quale fuerit incertum est. Tibialia seu caligae in usu non erant, quare pedes et crura pulvere ac luto facile inquinabantur; hinc frequens pedum ablutio, et usus aquam ad pedes ablucendos hospitibus ministrandi. Sandalia quoque, ut supra innuimus, domi deponebantur, quare in ipso ingressu domus, solutis corrigiis, exuebantur, et in egressu iterum assumebantur. Sandaliorum corrigias solvere, et alligare, ipsaque sandalia domino afferre infimum servorum officium erat, unde Iohannes Baptista se Christi servum professus indignum se dicebat eius calcamenta portare (Matth. III, 11) aut eorum corrigiam solvere (Mar. I, 7).

V. De ornamentis et luxu pauca adnotabimus. Baculi usus non itineris tantum causa, sed etiam ad ornatum Hebraeis ignotus non fuit. *Annuli* quoque in digitis, et *sigilla* ex collo pendentia saepe in Scripturis nominantur (Ex. XXXV, 22; Is. XXII, 24; Agg. II, 24; Luc. XV, 22). Caeterum longe maior ornamentorum copia a mulieribus gestari solebat, quae quidem a primaeva simplicitate deflectentes paulatim usque ad extremum luxum pervenerunt, praesertim sub posterioribus Regibus. Horum ornatuum enumeratio habetur in Isaia cap. III, ubi matronae Hierosolymae de nimio luxu reprehenduntur, unde apparet, earum mundum muliebrem ipsum nostrae aetatis luxum superasse. Cum haec non tanti momenti sint, et plurimum vocabulorum significatio etiam incerta sit, contenti erimus hunc locum recitare, ut est in Valgata latina, quae utpote a Hieronymo, viro linguarum cum Hebraicis tum Latinae scientissimus, confecta, plerisque recentiorum coniecturis merito praeferri potest. Locus ita se habet: « Et dixit Dominus: Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudabant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calcamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminialia, et periscelidas, et murganulas, et olfactoriola, et inares, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus, et specula, et sindones, et vittas, et theristra. Et erit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium ». Praeterea facio vultum pingebant, et praesertim oculos stibio limre solebant, ad gratiam addendam, quod adhuc in Oriente usitatum est: ita 4 Reg. IX, 30. Jezabel dicitur stibio oculos pinxisse ut placeret Iehu, et Hieremias (VI, 30) ac Ezechiel (XXIII, 40) inter vanas mulierum artes ad virorum amorem captandum nominant quod oculos stibio circumlinirent. Erat autem stibium materia quaedam fuscis coloris, quae stylo argenteo oculis iniiciebatur ut nigriores et grandiores apparerent, item superciliis inferebatur ut dilatarentur, et nigrescerent.

CAPUT VI.

DE ANIMALIBUS ET PLANTIS (A).

Cum ad usus domesticos animalia et plantae maxime pertineant, deque iis pluries in Scripturis mentio recurrat, visum est hic nonnulla de iis addere, ita tamen ut ea praecipue adnotemus quae Palaestinae regioni, aut saltem Orienti peculiaris sunt.

ARTICULUS I.

DE PRAECIPIIS ANIMALIBUS BIBLICIS

Animalia, ut notum est, dividuntur in terrestria, volatilia, et aquatica; rursus autem duo priora genera dividi possunt in animalia domestica, et silvestria.

1. Ad *terrestria* quod attinet praecipue de quadrupedibus, בְּעִיר, בְּהֵמָה, quaedam dicemus, et primum de domesticis. Ex his Scriptura nominat camelos et dromedarios, equos, asinos, mulos, elephantes, boves, oves, capras, canes, et sues. Omissis notioribus, de aliis nonnulla observabimus.

1. *Camelus*, גְּמֵל, גְּמָלִים, in toto Oriente notum animal, et maximae utilitatis est. Quamvis Orientales plures cameli species distinguant, duae tamen sunt praecipuae, quae etiam in Scripturis distinguuntur, scilicet *camelus* proprie dictus, et *dromedarius*. Primus maior est corpore et duplici gibba, seu tubere in dorso munitus, laboris patiens, et viribus robustus, ita ut usque ad 4000 aut etiam 4800 libras oneris portare possit: alter vero, seu dromedarius paulo minor est, et unico tubere praeditus, nec tam ingentia onera sustinere potest, vicissim tamen alteri praecellit caloribus et aestus tollerantia, in primis vero cursus velocitate, unde ab Hebraeis dicitur כְּרִכָּר *saltator*, et a Graecis, Latinisque

(1) De his copiose tractarunt plures eruditi viri. De animalibus biblicis celeberrimum est opus Bocharti cui titulus *Hierozyicon*, cui simile est opus de plantis biblicis Ol. Celsii sub titulo: *Hierobotanicon*, et Hilleri *Hierophyton*. Plures selectas animadversiones de utrisque exhibent Schenckzeri: *Physica sacra*; Oedmanni: *Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heil. Schrift*; et alias laudatus Reusch: *Bibel und Natur*.

*dromedarius*, seu cursor. Cameli generatim mitissimi, et admodum tractabiles sunt. Eorum utilitas in Orientis regionibus maxima est: iis enim utuntur ad itinera, praesertim in deserto, conficienda, ad quem finem caeteris iumentis longe praestant, nam parco victa contenti sunt, et graviter onusti in ardenti arena velociter incedunt, ita ut plus itineris uno die conficere possint quam equus tribus aut quatuor diebus; quod autem magis est, integros octo aut decem dies vivunt sine aquae potu, quae in deserto raro occurrit; sunt enim a natura quodam veluti sacco vel nre muniti, ubi aquam large haustam conservant, ut per multos dies sufficere possit. Praeterea indigenae cameli lac comedunt, eius etiam carnibus vescunt (quod tamen Hebraeis non licebat), et pills, qui quotannis defluunt, et mutantur, quemdam viliores panum contextunt, unde pauperum vestes fiunt: quo genere vestis Ioannes Baptista indutus fuisse dicitur Matth. III, 4: etiam excrementa pro combustibili materia adhiberi solent. Hiscie omnibus de causis Hebraei magnum camelorum numerum alebant, ut nunc faciunt Arabes (Gen. XXIV, 40, 64; XXXI, 17; Job. I, 3; XLII, 12; Is. XXX, 6; 1. Reg. XXX, 17). Qui camelis vehuntur vel iis insident, seu equitant, vel in speciali quadam sella et quasi domuncula undique tecta clauduntur una cum supellectili, qua ratione praesertim mulieres iter facere solent (Gen. XXXI, 17, 34; 1. Reg. XXX, 17).

2. *Asinus* nequaquam humile et abiectum animal, sed nobile et generosum erat apud Hebraeos, et est nunc in variis Orientis partibus; quod quidem non ex consuetudine tantum repeti debet, sed etiam ex eo, quod asini in Oriente, elegantiores, et tractabiliores nostris fuerint et sint. Hinc ingentes asinorum (אֲתוֹרִים) et asinarum (אֲתוֹנוֹת) turmae inter possessiones divitum in Scripturis memorantur, ut cum de Abraham, de Iacob, de Iob fit sermo. Asino vectari erat commune non pauperibus tantum sed ditioribus quoque viris et matronis, imo etiam principibus. Hinc Iud. V, 10 in cantico Deborah ita compellantur principes Israel: « Qui ascenditis *super nitentes asinos*, et sedetis in iudicio, et ambulatis in via, loquimini », et postea (X, 3, 4) legitur: « successit Iair Galaadites, qui iudicavit Israel per viginti et duos annos, habens triginta filios *sedentes supra triginta pullos asinae* ».

rum » quod etiam postea (XII, 13, 14) affirmatur de filiis et nepotibus Iudaeis Abdon. Hinc etiam figurate asinus pro viro forti et industrio accipitur, ut ex. gr. Gen. XLIX, 14, ubi Issachar vocatur *asinus fortis accubans inter terminos*. Asini silvestres, seu *onagri*, qui olim in Oriente frequentes erant, aliquando in Scripturis nominantur, et etiam allusio fit ad eorum instinctum, quo aquas in desertis procul odorantur et detegunt (Ps. 103, 41, Isa. XXXII, 14, Ier. XIV, 6).

3. *Mulus*, מִלּוֹךְ, פָּרְדִים, saepe memoratur in Scripturis saltem inde ab aetate Davidis, et certum est haec iumenta frequentem usum apud Hebraeos habuisse, tum ad onera portanda, tum ad homines vehendos, etiam nobiliores: nam et Absalom ad bellum contra patris exercitum procedens mulo insidebat (2 Reg. XVIII, 9, 10) et caeteri filii David cum ad convivium eiusdem Absalom convenirent mulis vehebantur, ut dicitur 2 Reg. XIII, 29. Quamvis enim Hebraeis non liceret species animalium miscere (Lev. XIX, 19) ex vicinis tamen regionibus muli adducebantur, fortasse ex Persia, ubi hoc genus iumentorum a magnitudine et celeritate laudabatur (Esth. VIII, 10). An vox מִלּוֹךְ quae occurrit Gen. XXXVI, 24 mulos significet inter philologos controvertitur.

4. *Equorum* usus haud ita magnus fuit apud Hebraeos praesertim antiquiori aetate. Nec videntur ad bellum adhibiti fuisse ante aetatem Davidis et praecipue Salomonis, qui etiam ex Aegypto magnam eorum copiam adduxisse dicitur (2 Reg. VIII, 4; 3 Reg. X, 28). Qui equis vehebantur nec sella nec ephippio utebantur, sed tantum panno dorso equi imposito insidebant: nec ferreis calceis unguulae equorum muniri solebant: quare eo maioris pretii erant quo solidiores, et duriores unguulas habebant (Is. V, 28; Am. VI, 12).

5. *Elephas* maximum inter quadrupedia, quorum species adhuc supersunt, proprium est Indiarum Orientalium. Hebraeis autem quemadmodum caeteris ceterioris Asiae et Europae populis familiare non fuit, nisi post epocham Alexandri magni, qui in expeditione Indica elephantum usum in bello didicit, eosque in Graeciam adduxit. Hinc tempore Machabeorum in variis praeliis Graecorum cum Iudaeis elephantibus apparent, et de iisdem frequens est mentio in utroque Machabeorum libro. Notum est in bello elephan-

tes parvam turrim ligneam dorso gestasse, in qua milites armati pugnabant, et ipsum belluae aspectum et impetum terrorem tum viris, tum equis incussisse, stragemque edidisse. Ceterum elephantum nomen etiam antiquius Hebraeis notum erat ex eorum dentibus, seu ebure, quod ad ornatum adhiberi solebat, et in Scripturis frequenter memoratur sub nomine שֵׁן seu *dens*. (1) Bellua quae in Libro Iob Cap. XL vocatur *Behemoth*, quamvis a plerisque credatur esse elephas, potest tamen de alia fera, puta rhinocerate, hippopotamo, vel tauro intelligi: certe eius descriptio non satis quadrat in elephantem.

6. *Armenta* bovm, quae plurima et permagna Hebraeis erant, colectivo vocabulo dicuntur בָּקָר *bakar*, greges vero ovium, et caprarum generali voce vocantur צֹאן *tsan*. De his vero utpote notissimis nihil dicendum est: eorum usus idem fuit apud Hebraeos ac apud nos.

7. *Canis* כֶּלֶב frequenter in Scripturis nominatur. Hoc tamen animal minus in honore erat apud Hebraeos, quam apud nos. Exceptis canibus venatorum, et pastorum, pauci dominum habebant, reliqui absque domino ac domo liberi vagabantur, et cibum sibi quaerere cogebantur. Hinc magnae canum turbae in urbibus colligebantur, ut adhuc cernitur in Oriente: hi quidem diu latitant, sub vespere autem per vias diffunduntur quaerentes cibum, inter se pugnas miscent, latratibus, et ululatibus aere implent, cadavera animalium aut etiam hominum forte obvia certatim devorant, nihilque tam immundum est a quo abhorreant; quam ob causam publicae sanitati utilitatem praestant, cum Orientales generatim de purgandis immunditiis parum solliciti sint. Qui haec norunt, aut oculis suis spectarunt in Palaestinae urbibus facile intelligunt imaginem illam Psalm. LVIII, 15 seq.: « Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem. Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, et murmurabunt ».

Haec quidem de quadrupedibus domesticis.

Silvestria vero ac fera plurima in Scripturis commemorantur,

(1) Prima mentio elephantis in vulgata latina occurrit 3 Reg. X, 22 ubi inter peregrinas merces, quas classis Salomonis singulis triennis ex Tharsis afferebat numerantur etiam *dentes elephantorum*.

quorum praecipua haec sunt. 1. *Leo*, ad quem designandum non minus quam sex diversae voces occurrunt, sive istis diversae aetates leonis significentur, ut Hebraei volunt, sive diversae belluae varietates, ut vult Bochartus. Ceteris frequentius occurrit vox ארי vel אריא ad leonem adultum et ferocem denotandum. 2. *Tigris* semel tantum nominatur in Vulgata Job. IV, 11, ubi tamen in textu est vox ליש quae alibi pro leone semper accipitur. Nonnulli putant aliquando tigrim designari per vocem נמר quae frequenter occurrit: verum haec vox pardum, vel leopardum potius significare credenda est. 3. *Ursus* bellua a ferocia simul et ab astutia formidabilis, contra quam David adolescens pugnasse legitur 1 Reg. XVII, 34, 36. 4. *Hyena* probabilius designatur Hier. XII, 9 sub nomine tsabuah צבוע. 5. *Lupus* זאב notum animal. 6. *Vulpes* שועל saepissime in Scripturis memorata, cum iis Palestina maxime abundet. Notandum tamen est aliud quoque animal simile reperiri quod canem aureum appellant, vel sciakal, quorum ingentes turmae in desertis et campis illarum regionum occurrunt. Multa Scripturae loca, ex. gr. nota historia Samsonis Ind. XV, 4 seqq., de hoc potius animali, quam de vulpe propria dicta intelligenda videntur. 7. *Aper*, קניזר saepe nominatur ut animal vineis et campis infestum: nonnulli interpretes apros intelligunt per feras arundinis, de quibus est mentio in Psal. LXVII, 31. 8. *Simia* קוף in multis Orientis partibus communis, Palaestinae indigena nunquam fuit; Scriptura tamen (3 Reg. X, 22 et 2 Par. IX, 24) narrat classem Salomonis singulis triennis copiam horum animalium una cum aliis peregrinis mercibus in Iudaeam advenxisse. 9. *Lepus* ארנבת inter immunda animalia numeratur. 10. Quaedam alia nomina animalium parum nota, aut incertae significationis reperiuntur in Levitico, ubi de immundis animalibus fit sermo, de quibus superfluum putamus disputare.

*Reptilia* generico vocabulo רמש, רמשים designantur; eorum paucae tantum species distinguuntur, ut *serpens*, *lacerta*, *stellio*, *camaleon*, quae etiam nobis notae sunt. Aliquando etiam minuta quadrupedia in foraminibus terrae degentia, et brevibus cruribus instructa ut ex. gr. *mures*, *talpae*, *herinacei* sub nomine reptilium includi videntur, quamvis alias etiam proprio nomine vocentur.

II. *Volatilia* in Scripturis generico nomine vocantur עוף: eorum vero species plurimae distinguuntur, quarum paucae erant mundae, longe plures immundae, quae scilicet nec comedi, nec in sacrificium offerri poterant. Inter volucres mundas distinguuntur 1. *Columba*, יונה cuius mentio in Scripturis frequentissima est, sive ubi de sacrificiis est sermo, sive alibi passim praesertim metaphorico sensu in innocentiae, puritatis, et fidelitatis symbolum. 2. *Turtur*, דורר etiam in sacrificiis adhibita quemadmodum columba. 3. *Gallina et gallus* notiores sunt, quam ut de iis disseramus. Symbolum ex gallina desumptum ad significandam sollicitudinem, qua Christus Hebraeorum saluti prospicere volebat notissimum est. 4. *Passer* hebraice dicitur tsippor צפור licet haec vox aliquando pro qualibet avi saltem parva generatim accipi videatur.

Immundas avium species enumerat Moyses Lev. XI, 13–20, ubi tamen quaedam nomina occurrunt obscurae et incertae significationis. In Vulgata hic locus redditur ita: « Haec sunt quae de avibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis: *aquilam*, et *gryphem*, et *haliaectum*, et *milvum*, ac *vulturem*, iuxta genus suum, et *omne corvini generis* in similitudinem suam, *struthionem*, et *noctuam*, et *larum*, et *accipitrem* iuxta genus suum: *bubonem*, et *mergulum*, et *ibin*, et *cygnum*, et *onocrotalum*, et *porphyrio-nem*, *herodionem*, et *charadion* iuxta genus suum, *upupam* quoque, et *vespertilionem* ».

III. *Insectorum* magna varietas, et plura nomina in Scripturis occurrunt. In his frequentissima est mentio *locustarum*, quibus designandis non minus quam novem aut decem diversa nomina occurrunt, quibus vel diversae locustarum species, vel diversae earum proprietates designantur. Haec insecta generatim grandiora sunt in Palestina, quam in nostris regionibus, et ingens damnum messibus, fructibus et arboribus inferunt: hinc eorum incursus inter praecipuas calamitates computantur, ut alias vidimus. Hic tantum addimus locustas in cibum a Iudaeis adhibitas fuisse, quod expresse permittitur Lev. XI, 22, et a Ioanne Baptista in deserto adhiberi solebat (Matth. III, 4), ut etiam nunc in usu est apud plures Orientis populos. *Muscarum* etiam plures species occurrunt, ut *musca communis* zebub זבוב, *apis* דבורה, *cynomyia* ערוב,



*cynipēs*, כַּן כְּנִים etc. *formica*, נְמִיָּה etiam nominatur et in exemplum providentiae et industriae pigri proponitur in noto testimonio Prov. VI, 6; *Pulex*, פְּרֵעַשׁ cui David humilitatis causa sese comparat 1. Reg. XXIV, 15; XXVI, 20; *Aranea* quoque sese comparat 1. Reg. XXIV, 15; XXVI, 20; *Aranea* quoque *עַבְבִּיּוֹשׁ* saepe occurrit sive proprie, sive figurate, item *linea*, כֶּסֶף, *vestibus* et lignis noxia; *Vermes*, quorum species est unde color coccineus extrahitur, qui etiam aliquando absolute *vermis*, seu *vermiculus* הַלְעֵצ׃ appellatur. Cetera libenter omitimus.

IV. *Aquatica animalia* vel sunt *pisces* proprie dicti, vel *molusca*, aut *crustacea*, vel etiam *amphibia*. Quamvis Hebraei plures horum species probabilis cognoscerent et distinguerent, in Scripturis tamen non nisi paucae distinguuntur. Commune nomen *piscis* est *Day*, דָּג, דָּגָה. Monstra marina generalim vocantur *tanninim* תַּנִּינִים quo nomine comprehenduntur tum *cele*, tum maiores pisces, ut *vituli marini*, *canes marini*, et aliquando etiam *crocodilus* aliaque amphibia animalia. Monstrum quod Ionam deglutivit vulgo creditur fuisse *balena*, sed in Hebraico textu simpliciter vocatur דָּג גָּדוֹל *piscis magnus*, et similiter apud LXX redditur per vocem genericam *κατακα*, et in Vulgata per *pisces grandem* (Ion. II, 1), vel *cetum* (Matth. XXII, 40). Monstrum a Iob descriptum sub nomine *Leviathan* a multis creditur esse *crocodilus*, cui satis convenit descriptio apud Iob XL, 20 et seq. Aliquando tamen accipi videtur etiam de aliis monstris marinis, ut fortasse in Psal. CVIII, 26. Ingens piscis qui Tobiam pedes in flumine Tigri lavantem perterruit, et cuius viscera iussu Raphaelis comitis servata plura efficacia remedia subministrarunt (Tob. VI, 2-10) a pluribus interpretibus creditur fuisse ingens piscis fluvialis a Latinis dictus *silurus*.

ARTICULUS II.

DE ARBORIBUS ET PLANTIS

Cum Hebraei vitam agricolam maxime adarent, eorumque regio admodum fertilis esset, mirum non est, si de plantis, arboribus, fructibus, floribus, ubique mentio recurrat, et innumeræ etiam descriptiones, imagines et similitudinēs ex eis desumantur.

Cum tamen pleraque ex istis familiaria nobis sint, hic tantum de iis brevissime dicemus quibus nos minus assueti sumus.

I. Inter *arbores* et *arbusta* notari imprimis possunt sequentia. 1. *Palma* תְּבַרְבָּר arbor Orientis propria longis, angustis et acuminatis foliis, dactylos fructus ferens, in Palestina et Idumæa maxime frequens erat, ita ut in pluribus nummis Vespasiani, Domitiani et Traiani hæc regiones repræsententur sub figura mulieris sub palma sedentis. Nunc ob defectum culturae, et aquarum inopiam palmarum rariores sunt in Palestina, sed in vicinis urbis Iericho, ubi maior est aquarum copia, ingens quoque palmarum numerus occurrit.

2. *Cedrus* אֲרְזֵי אֲרָז celeberrima arbor præsertim in Libani iugis, cuius lignum soliditate et incorruptibilitate in maxima aestimatione semper fuit: immensa cedrorum copia adhibita fuit in aedificatione templi Salomonici, nec non regalum aedificiorum eiusdem Salomonis: Romæ in veteri Basilica Ostiensi laquearia ex cedris Libani confecta erant. Nunc cedri raræ sunt in Palestina et in Libano; nonnullæ tamen adhuc cernuntur vetustissimæ, et amplissimæ: cedri enim longo plurium sæculorum spatio vivunt et truncus ad enormem magnitudinem et altitudinem pervenit.

3. *Populus* לְבָנָה seu *alba*, ex foliorum colore dicta bis tantum memoratur Gen. XXX, 37, et Os. IV, 13, sed ut Hebraeis familiaris supponitur. 4. *Amygdalus* שֶׁקֶד saepe occurrit, cuius etiam proprietas flores emittendi primo vere et ante ceteras arbores ipso nomine indicatur, quod *vigilantem* significat (V. Ier. I, 11, 12).

5. *Quercus* אֵיל, אֵילֶן, אֵילָה, nota arbor, in Scripturis passim nominatur: eius nomen a robore et fortitudine desumptum est. 6. *Terebinthus* pulcherrima arbor eodem nomine ac quercus אֵיל, אֵילָה, אֵילֶן designari solet. Est tamen aliquantum diversa a quercu, folia lauro similia habet, flores ab oleæ floribus non multum dissimiles: ex ea fluit liquor, seu resina suavis odoris, quæ *terebinthina* dici solet. 7. Arbor *setim*, cuius lignis fere omnes tabernaculi partes extractæ fuerunt (Ex. XXV, XXVI), videtur esse *acacia*, ut supra animadvertimus. 8. *Sycomor*, שֶׁקֶמֶר, in quam Zachæus ascendisse dicitur ut Christum transeuntem conspiceret, licet ex Aegypto oriunda, in Palestina tamen olim frequentissima erat. Apud nos etiam nota est sub nomine *aceris*. Similis est moro, quamvis folia non tam spissa, nec tam rotunda

sunt, et paulo viridiflora. Truncus non tam altus est, sed largior, et in multos principales ramos dispescitur, unde densa et lata umbra efficitur. Fructus, qui fico similes sunt, quamvis in magna copia ferantur, viliores pretii sunt et pauperum cibo inserviunt.

9. *Olea* זית una ex praecipuis et utilioribus arboribus ab Hebraeis sedulo excolebatur, usque a remotissima aetate. Oleum ex olivis expressum in sacris ritibus magnam partem habuit, solebat etiam ad vulnera fovenda adhiberi (Is. I, 6, Luc. X, 34).

*Olea* symbolum pacis, et felicitatis semper fuit etiam apud Hebraeos, fortasse ob ramusculum oleae, quem columba in arcam detulit, quo finis diluvii, et irae divinae placatio annunciabatur (Gen. VIII, 11). 10. *Vitis* גפן notissimum arbustum magno studio colebatur in collibus Palaestinae: vinum inde exprimebatur usque a tempore Noe, et saepe exquisitum ac pretiosum (1).

11. *Ficus* תאנה apud Hebraeos fortasse communior fuit quam apud alias quascumque gentes: eius fructus ob magnitudinem, et suavitatem celebratissimi, unum ex praecipuis Hebraeorum cibis constituisse videntur: comedebantur autem tum recentes, tum solis ardore exsiccati et in massas compacti, qui a Latinis caricae dicebantur: in Scripturis passim nominantur istae *massae caricae* cum sermo est de peregrinantium, ac etiam de militum viatico. Scriptura saepe utitur phrasi: *unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua* ad designandum tempus tranquillitatis et abundantiae. Ficus cuius folia Adam et Heva ad vestitum adhibuerunt post peccatum (Gen. III, 7) alia arbor creditur fuisse a ficu ordinaria, fortasse fuit arbor illa quam Bananam vocant, seu Ficum Adami, cuius lata folia etiam nunc apud barbaras quasdam tribus ad eundem usum adhibentur.

II. Ad plantas quod attinet, in primis notanda sunt: 1° *Cerealia* nempe *frumentum, hordeum, millium*, et cetera, quae nobis etiam communia sunt, 2° *Legumina*, ut *fabae, lentes* et similia,

(1) Tempus *vindemiae*, quemadmodum tempus *messis* erat Hebraeis tempus ingentis laetitiae; hinc saepe imagines desumunt sacri scriptores (Ier. XXV, 30, XLVIII, 33, Is. V, 2, Matt. XXI, 33). Contra vero verum compressio in torculari, vel calcatio accipi solet pro symbolo afflictionis, vel magni exidii (Is. XVII, 6, LXIII, 1-5, Ier. XLIX, 9, Lament. I, 15).

3° *cepe*, quae nostris multo meliora et grandiora erant, et adhuc sunt in Oriente, *porri, allia*, quibus addi possunt ceteri plantarum fructus ut *cucumeres* קצואים, *pepones* אבטיח; 4° Plantae *odoriferae* aut *aromaticae* quibus oriens maxime abundat. Harum ingens numerus in Scripturis occurrit, quamvis nonnullae ex aliis Orientis partibus exportari solerent, et quarundam etiam nominum incertae significationis sint. Frequentiores sunt in Sacris Libris *Absynthium, Hyssopus, Coriandrum, Sinapis, herba Borith* ad pannum purgandum adhibita, quare dicitur etiam *herba fullonum* (Mal. III, 2), *Nardus, Cinnamomum, Mentha, Cyminum, anathum* et aliae minutae herbae (Matt. XXIII, 23).

IV. Flores saepius in Scripturis nominati sunt *Lilium* שושן *Sciucian*, et *Rosa* הברצלה quamvis hoc nomine alii intelligant *Narcissum*, vel alios flores.

V. Inter reliquas plantas notatu digna est *linum*: ad hoc designandum duo sunt vocabula *Bad* בד, et *Seese* שֵׁשׁ; fortasse hoc alterum, considerata vocis etymologia, erat filum robustius ex *seae* filis lineis constans, ut plures Rabbini opinantur. Utrum etiam *byssus* (Byssa; בניץ) tam frequenter nominata, ubi de sacris vestibus agitur, idem sit ac *linum* controversatur inter eruditos: multi enim contendunt byssum esse potius *gossypium*, seu *xylon*, (cotton) ut inter alias acriter contendit Calmetus: alii volunt esse sericum, ut Aben-Ezra, et Abaranel ex Rabbinis, verum communior et probabilior sententia est byssum esse tenuissimum, et candidum *linum*, fortasse illud quod ex Aegypto exportabatur. Similis quaestio usque a primis Ecclesiae saeculis agitari solet circa plantam sub qua sedit Ionas prope urbem Ninive, quae Hebraice dicitur *Kikaion* קיקיון (Ion. IV, 6, 9, 10), quam vocem Hieronymus vertit *hederam*, vetus Italia reddidit per *cucurbitam*, sed communior sententia est nec primam nec alteram proprie fuisse, sed potius *ricinum*, aut *palmam* Christi, ut alibi animadvertimus.

CAPUT VII.

DE CIBO, POTU, ET CONVIVIIS

I. *Ciborum ratio* haud multum a nostra diversa erat. Initio quidem solis frugibus ac fructibus homines vescerantur: post diluvium vero etiam carnibus animalium vesci permissum est ad corporis infirmitatem sustentandam (Gen. II, 16, IX, 3-4). Praecipua Hebraeorum alimenta fuerunt, panis, lac, mel, terrae fructus, et carnes.

1. *Panis* praecipue ex frumento conficiebatur, quandoque etiam panis vilioris pretii ex farina hordeacea parabatur. Non solum autem panis in singulis familiis fiebat a mulieribus, ut supra vidimus, sed etiam frumentum aut hordeum molebatur, quare, in singulis domibus ad hunc finem aderat parva mola, quae duobus rotundis lapidibus constabat, quorum unus super alium in orbemolvebatur, atque ita grana inter duos lapides posita terebantur:olvebatur autem superior lapis vel ope manubrii ab asino in orbem circumducto, unde *mala asinaria* in Evangelio commemorata (Ex. XI, 5, Iud. XVI, 21, Matth. XVIII, 6). Quandoque etiam panes absque fermento, et sub cineribus coctos adhibere solebant, quos Scriptura *subcinericios* appellat, quales fuerunt panes quos Abraham angelis sub specie virorum hospitio receptis dedisse legitur Gen. XVIII. Panes azymi diligentius praeparati comedendi erant etiam tota hebdomada paschali. Praeterea ex farina, sale, et oleo confici solebant placentae tum ad oblationes sacras, tum ad domesticos usus.

2. *Lactis* tum caprarum et ovium, tum vacarum generalis erat usus; illud autem vel ad modum potus sumebant, vel coagulatum in caseum, vel denique ad formam *butyri*, חֲמֵץ, ad quod efficiendum vacarum lac in pellibus, vel utribus comprimebant donec a sero liberaretur, ut nunc passim fit apud Arabes.

3. *Mel* apam aliud erat silvestre, quod scilicet apes sponte sua in foraminibus petrarum, vel in cavitatibus arborum deponebant, aliud vero arte et industria ex apum cultura comparatum: utrumque adhiberi solebat tum in cibum, tum ad dapes condendas pro

quibus nos saccharo utimur, quod Hebraeis ignotum fuisse videtur. Scriptura ad fertilitatem Palaestinae significandam passim eam vocat terram *melle et lacte fluentem*.

4. *Fructus terrae*, seu fruges, legumina, herbae, et arborum fructus, plus minus eadem fuerunt Hebraeis ac sunt apud nos. Interdicebantur autem fructus arborum trium priorum annorum a plantatione, quarti autem anni fructus erant Deo offerendi in primitias (Lev. XIX, 23-25), item fructus ab agro vel vinea prolati, ubi diversa semina commixta fuissent contra Legis praeceptum (Lev. XIX, 19 et seq., Deut. XXII, 9).

5. *Carnes* animalium non tantum apud Hebraeos usum habebant, quantum apud nos, praesertim in borealibus regionibus. Praeterea non omnes animalium carnes Hebraeis permissae erant, sed plures prohibitaee ut *immundae*. Haec distinctio ciborum ex peculiaribus circumstantiis et finibus Mosaicae legislationis repetenda est, quibus cessantibus leges istae per Christum abrogatae fuerunt. Scilicet animalia quaedam interdicta fuerunt, vel quia naturaliter immunda, ad animi munditiam insinuandam, vel quia sanitati corporis in climate Palaestinae nocere poterant, vel quia Aegyptii, aut alii ethnici iis ad suas superstitiones utebantur (1). Quaedam autem essent animalia immunda, quaedam munda diligenter exponitur Lev. XI et Deut. XIV, quamvis distinctio haec antiquior fuerit Moysae, et tempore Patriarchae Noe iam existeret (Gen. VII, 2, 8). Itaque ex quadrupedibus immunda erant animalia quae non ruminant, ut sues, vel unguam plene fissam non habent, ut equi, cameli etc.; ex piscibus immundi erant qui pinnulas et squamas non habent; ex avibus immundae erant omnes aves rapaces; ex reptilibus nullum erat mundum, denique ex insectis solae locustae aliaeque saltantia permittiebantur. Non solum autem immundis fiebat qui de his animalibus immundis comedisset, sed etiam qui eorum cadavera tetigisset, ut ibidem dicitur. Praeterea vetabatur Hebraeis esus sanguinis ex lege ipsis Patriarchis imposita (Gen. IX, 4), item esus *suffocati*, seu animalis occisi sine sanguinis effusione ob

(1) Vide de his egregie disserentem S. Thomam, 1, 2, q. 102, art. 6, ubi etiam addit, quaedam prohibita fuisse ob figuralem etiam rationem, quae peccata vel vitia quaedam significabant.

eandem causam (1). Insuper ex consuetudine Hebraei non manducabant nervum femoris in memoriam luctae Iacob cum angelo, in qua nervus eius femoris debilitatus est (Gen. XXXII, 23, 31, 32). Denique per accidens immundae fiebant carnes animalium. 1° Si idolis immolatae fuissent (Ex. XXXIV, 15). 2° Si a feris laceratae fuissent (Ex. XXII, 30). 3° Si super illas etiam casu decidisset aqua ex vase immundo (Lev. XI, 34, 35), vel si forte rem immundam tetigissent. 4° Denique speciali lege Ex. XXIII, 19 vetitae erant carnes hoedi cocti in lacte matris.

II. *Potus* erant, 1° *aqua* fontium, torrentium vel cisternarum; 2° *Lac* ovium, caprarum, et vaccarum: 3° *vinum* inde a Noe tempore, cuius quidem abusus saepe in Scripturis reprehenditur, moderatus vero usus commendatur. Quamvis vina Palaestinae austera, et generosa sint, solebant aliquando myrrha, aliisque aromatibus condiri; 4° *Sicera* שִׁכְרָה quo nomine in Scripturis passim designatur non specialis quidam liquor, sed generatim potus inebrians, ut fert vocis etymologia: talis erant cervisia ex granis hordei fermentatis confecta, item liquor ex dactylis palmarum, aliisque fructibus paratus. Hisce potibus, ut etiam vino, abstinebant tum sacerdotes, cum ministerio fungerentur, tum Nazaraei durante tempore voti, tum Rechabitae ut superius dictum est. 5° *Acetum* חֶמֶץ ex vino vel sicera parari solebat, quod etiam aqua mixtum potui inserviebat, et praecipue messoribus ad bibendum dabatur (Num. VI, 3, Ruth. II, 14). 6° Recentiori aetate probabile est Hebraeos alia etiam exquisitiora potionum genera a Graecis et Romanis didicisse.

III. *Conviviorum ratio* apud Hebraeos haec erat. *Ientaculi* usus non videtur fuisse apud Hebraeos, sed prima refectio circa meridiem sumebatur (Eccl. X, 16, Act. XI, 15, X, 9, 10), secunda vero et principalis refectio erat sub vespere, quae *coena* dicebatur, sed nostro prandio respondebat. Ante cibum solebant preces

(1) Haec lex, quae simul etiam ad sanitatem et puritatem corporis conducebat innovata fuit a Moysse (Lev. III, 17, VII, 26 seq. Dent. XII, 16), quinimo ab Apostolis in Concilio Ierosolymitano coadunatis iterum confirmata ad tempus pro iis qui ex Ethnicismo ad fidem convertebantur (Act. XXV, 29). Erat unum ex praeceptis quae dicuntur *Noachicae* quia Noe et Patriarchis imposita fuerant ante Moysen.

fundere, et finita coena gratias Deo agere (Deut. VIII, 10, 1 Reg. IX, 13, Matth. XXVI, 30). Convivae ad mensam vel assidebant in sellis seu scamnis, ut apud nos, qui videtur olim generalis usus fuisse, quemadmodum semper fuit pro mulieribus (Gen. XXXIII, 33, 1 Reg. XX, 5, 24, 25, XXIII, 23), vel in lectulis accumbebant, quod posteriori aetate praevaluisse certum est. Scilicet circa mensam appositii erant lectuli generatim tres, quorum singuli rursus tres homines caperent, unde nomen *tridimii*: in his vero singuli discumbebant super latus sinistrum reclinati, et pedibus extra mensam versus terram dimissis: hinc apparet quomodo Ioannes mensae accumbens poterit recumbere super pectus Christi, et quomodo Maria Magdalena *stans retro secus pedes eius* potuerit eius pedes osculari et ungere (Luc. VII, 36, 38, Io. II, 9, XII, 1-11, XIII, 23, XXI, 20). Lectus medius, et medius eius locus honoratiori convivae cedebatur, quare Pharisei hunc locum ambiabant in conviviiis (Matth. XXIII, 6, Luc. XIV, 7, 10). Hebraei cibos ex paterna in os inferebant manu vel digitis, unde orta consuetudo manus lavandi ante mensam; pedes quoque lavare solebant munditiae causa, cum detractis calcibus mensae accumberent (Iud. XIX, 21, Luc. VII, 8). Mos erat optimum vinum primo apponere, deinceps vero circa finem coenae deterius, ut expresse dicitur Io. II, 10. Inter coenandum amoenis colloquiis, et honestae laetitiae indulgebant, praesertim post vini haustum; id autem Scriptura exprimere solet verbo *inebriari*, quod certe non est ad literam sumendum. Hinc etiam convivium frequenter accipitur pro symbolo felicitatis, et in specie pro felici aetate Messiae, et pro aeterna beatitudine. Cum autem convivium, ut modo diximus, vespere haberentur, et in multam noctem saepe producerentur, intelligitur cur ad designandum impios excludi ab aeterna felicitate dicatur eos mitti in *tenebras exteriores*, ubi erit *fletus et stridor dentium*: nam intra aulam convivii, cui felicitas aeterna comparatur, erant luminaria, et calor et laetitia, extra domum vero tenebrae, et frigus nocturnum.